

## AP Latin Gallic War Book 6

### Chapter 13

In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo  
sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam  
plebes paene servorum habetur loco, quae nihil  
audet per se, nullo adhibetur consilio.

Plerique, cum aut aere alieno aut magnitudine  
tributorum aut iniuria potentiorum premuntur, sese  
in servitatem dicant nobilibus: in hos eadem omnia  
sunt iura, quae dominis in servos. Sed de his  
duobus generibus alterum est druidum, alterum  
equitum. Illi rebus divinis intersunt,  
sacrificia publica ac privata procurant,  
religiones interpretantur: ad hos magnus  
adulescentium numerus disciplinae causa concurrat,  
magnoque hi sunt apud eos honore. Nam fere de  
omnibus controversiis publicis privatisque  
constituunt, et, si quod est admissum facinus,  
si caedes facta, si de hereditate, de finibus  
controversia est, idem decernunt, praemia  
poenasque constituunt; si qui aut privatus aut  
populus eorum decreto non stetit, sacrificiis

interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima.

Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur neque honos ullus communicatur. His autem omnibus druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo aut si qui ex reliquis excellit dignitate succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis iudiciisque parent. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur.

## Chapter 14

Druides a bello abesse consuerunt neque

tributa una cum reliquis pendunt; militiae  
vacationem omniumque rerum habent immunitatem.  
Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in  
disciplinam conveniunt et a parentibus  
propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum  
versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli  
vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse  
existimant ea litteris mandare, cum in reliquis  
fere rebus, publicis privatisque rationibus  
Graecis litteris utantur. Id mihi duabus de causis  
instituisse videntur, quod neque in vulgum  
disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt,  
litteris confisos minus memoriae studere: quod  
fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum  
diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.  
In primis hoc volunt persuadere, non interire  
animas, sed ab aliis post mortem transire ad  
alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari  
putant metu mortis neglecto. Multa praeterea de  
sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum  
magnitudine, de rerum natura, de deorum  
immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti

---

tradunt.

## Chapter 15

Alterum genus est equitum. Hi, cum est usus  
atque aliquod bellum incidit (quod fere ante  
Caesaris adventum quotannis accidere solebat, uti  
aut ipsi iniurias inferrent aut illatas  
propulsarent), omnes in bello versantur, atque  
eorum ut quisque est genere copiisque amplissimus,  
ita plurimos circum se ambactos clientesque habet.

Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

## Chapter 16

Natio est omnis Gallorum admodum dedita  
religionibus, atque ob eam causam, qui sunt  
adfecti gravioribus morbis quique in proeliis  
periculisque versantur, aut pro victimis homines  
immolant aut se immolatuos vovent administrisque  
ad ea sacrificia druidibus utuntur, quod, pro vita  
hominis nisi hominis vita reddatur, non posse  
deorum immortalium numen placari arbitrantur,  
publiceque eiusdem generis habent instituta  
sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra  
habent, quorum contexta viminibus membra vivis

---

hominibus complent; quibus succensis circumventi  
flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui  
in furto aut in latrocinio aut aliqua noxia sint  
comprehensi gratiora dis immortalibus esse  
arbitrantur; sed, cum eius generis copia defecit,  
etiam ad innocentium supplicia descendunt.

## Chapter 17

Deum maxime Mercurium colunt. Huius sunt  
plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium  
ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad  
quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam  
arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et  
Iovem et Minervam. De his eandem fere, quam  
reliquae gentes, habent opinionem: Apollinem  
morbos depellere, Minervam operum atque  
artificiorum initia tradere, Iovem imperium  
caelestium tenere, Martem bella regere. Huic,  
cum proelio dimicare constituerunt, ea quae bello  
ceperint plerumque devovent: cum superaverunt,  
animalia capta immolant reliquasque res in unum  
locum conferunt. Multis in civitatibus harum  
rerum exstructos tumulos locis consecratis

conspicari licet; neque saepe accidit, ut  
neglecta quispiam religione aut capta apud se  
occultare aut posita tollere auderet,  
gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu  
constitutum est.

## Chapter 18

Galli se omnes ab Dite patre prognatos  
praedicant idque ab druidibus proditum dicunt.  
Ob eam causam spatia omnis temporis non numero  
dierum sed noctium finiunt; dies natales et mensum  
et annorum initia sic observant ut noctem dies  
subsequatur. In reliquis vitae institutis hoc  
fere ab reliquis differunt, quod suos liberos,  
nisi cum adoleverunt, ut munus militiae sustinere  
possint, palam ad se adire non patiuntur filiumque  
puerili aetate in publico in conspectu patris  
adsistere turpe ducunt.

## Chapter 19

Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis  
nomine acceperunt, tantas ex suis bonis  
aestimatione facta cum dotibus communicant.  
Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur

fructusque servantur: uter eorum vita superarit,  
ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum  
temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in  
liberos, vitae necisque habent potestatem; et cum  
paterfamiliae illustriore loco natus decessit,  
eius propinqui conveniunt et, de morte si res in  
suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum  
quaestionem habent et, si compertum est, igni  
atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt.  
Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et  
sumptuosa; omniaque quae vivis cordi fuisse  
arbitrantur in ignem inferunt, etiam animalia, ac  
paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos  
ab eis dilectos esse constabat, iustis funeribus  
confectis una cremabantur.

## Chapter 20

Quae civitates commodius suam rem publicam  
administrare existimantur, habent legibus sanctum,  
si quis quid de re publica a finitimis rumore aut  
fama acceperit, uti ad magistratum deferat neve  
cum quo alio communicet, quod saepe homines  
temerarios atque imperitos falsis rumoribus

terreri et ad facinus impelli et de summis rebus  
consilium capere cognitum est. Magistratus quae  
visa sunt occultant quaeque esse ex usu  
iudicaverunt multitudini produnt. De re publica  
nisi per concilium loqui non conceditur.

---

---

---

---

---

---